



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

245. An ex pacto, seu voluntate eorum, ad quos jus eligendi spectat, clericis extraneis communicari possit potestas eligendi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)



illum verè fuisse in possessione bonæ fidei, ejus suffragium valebit; secus si contrarium comperiat. Innoc. Laym. & alii in c. humana. h. t.

*Questio 243. An jus eligendi Prælaturam aliis quoque Clericis, qui de Collegio non sunt, competere possit?*

**R**espondeo: de jure communi non competit, ex dictis. Unde sequitur primò, in regulariis electionibus non competere jus eligendi nisi professis, cum non professi nondum sint incorporati Religioni c. ex eo. h. t. in 6. c. indemnitate. ibid. Suar. tom. 4. de relig. tr. 8. lib. 2. c. 4. Tambur. tr. 3. de c. 19. Pass. c. 10. num. 21. competit tamen tacite professis, quia verè professi. cit. c. ex eo. & c. ibid. Franc. num. 1. Laym. Pass. ll. cit. quamvis de eo constare debeat, quòd Novitiatum absolvent, juxta præscriptum Trid. professionemque suam probare debeant, si iis opponatur defectus professionis. Rotà cit. à Pass. Sequitur secundò Religiosum, etiam si sit ejusdem Ordinis, si non sit de eadem numero congregatione, ad quam hic & nunc spectat electio, non posse in ea eligere. Peyr. in subdito q. 1. c. 31. not. 8. Laym. l. 4. tr. 2. c. 12. num. 3. Suar. loc. cit. num. 2. Hinc Generales & Provinciales quia ad nullum determinate conventum pertinent, in nullo habent votum seu jus eligendi Prælatos locales conventuum; quamvis juxta aliquorum Ordinum statuta possint eos instituere. Pass. loc. cit. num. 26.

*Questio 244. An saltem id vi privilegii vel consuetudinis competere possit Clericis extraneis; quo nomine etsi veniant etiam ii, qui licet sint membra Ecclesie, vel Conventus, pro quo eligendus est prælatus, carent tamen qualitate aliqua à jure vel consuetudine requisita ad hoc, ut quis sit elector. Pass. c. 3. q. 2. n. 1. de his tamen hic non queritur?*

**R**espondeo affirmativè. primum sumitur ex c. dilectus. de consuetud. Abb. in c. humana. h. t. sic Abbates privilegio acquirere possunt jus eligendi cum Canonicis Episcopum. Azor. cit. c. 14. q. 6. cum communi: Alterum quoque constat ex c. dilectus. c. cum Ecclesia. & c. de causa possess. & propriet. c. bona. 4. de postul. & ibi Hof. Bald. & c.

2. Præscribitur autem jus eligendi spatio, quo præscribi solent jura spiritualia seu Ecclesiastica, nempe 40. annis; intra quod tamen tempus necesse est, & sufficit, ut facta fuerit aliqua electio Superioris auctoritate confirmata. Azor. loc. cit. ex Innoc. Franc. in cap. cum de benef. de prob. in 6. Et sic jam extraneus, qui hac viâ præscriptionis acquisivit jus eligendi, non est solum possessor; sed dominus juris eligendi, & de Collegio eligentium; unde vocari debet, & nunquam rejici ab electione. Pass. loc. cit. num. 30.

*Questio 245. An ex pacto seu voluntate eorum, ad quos jus eligendi pertinet, Clericis extraneis communicari possit potestas eligendi?*

**R**espondeo: contra Navar. l. 1. conf. 2. de consuetud. num. 3. & Lezanam c. 15. num. 20. & alios putantes id fieri posse à toto Capitulo, nemine Capitularium dissentiente. Item contra Laym. in qq. P. Leuren. Fori Benef. Tom. 11.

can. de elect. q. 19. Pirh. num. 14. Engels & alios tenentes; id posse fieri pro una vice prælaturâ vacante, eò quòd c. scriptum. h. t. habeatur convenisse canonicos mutuo consensu, ut ad electionem Patriarchæ Constantinop. admitterentur septem Præpositi extranei, quod Pontifex comprobavit: Negant tamen id sine consensu Superioris posse concedi ad dies vitæ personæ, vel etiam in perpetuum dignitati extraneæ, multòque magis negant, posse capitulares in perpetuum, & absolute abdicare à se jus eligendi. Respondeo, inquam, negativè; jus enim eligendi in electione canonica ipsis Capitularibus non nisi ex consensu Papæ competit, & nulli competere potest, nisi cui Papa id concesserit; ergo nulli de collegio, nec toti Collegio competit posse dare alicui jus eligendi, & admittere extraneum, ut is valide eligat, præsertim, cum inter cæteras qualitates requisitas in illis, quibus Papa jus eligendi canonicè concessit, sit una, ut vocalis sit de Collegio eligentium tanquam ejus membrum & pars, ut sumitur ex c. cum dilectus. de consuetud. Pass. c. 3. q. 2. num. 34. & 35. citans Donar. in praxi p. 3. t. 2. q. 15. qui etiam vult, electionem, in qua admittitur externus, esse nullam, quod tamen rectè reprobat Pass. Neque enervat responsionem, quòd concedant canones, ut ab initio in fundatione Ecclesie collegiata pacto constitui possit, ut electio Prælati simul spectet ad Prælatum vel Capitulum extraneum, vel ad ipsum patronum ecclesiasticum. Gl. in cap. nobis. & c. de iure patronatus. v. nisi aliter. Laym. Pirh. loc. cit. hoc namque speciale est, & indulgetur à Papa ad excitandos fideles ad fundationes & dotationes Ecclesiarum. Neque quòd Capitulares eligere possint per compromissarios extraneos; hoc enim illis expressè concessum est c. quia propter. h. t. nullibi autem concessum, ut possint admittere externum ad secum eligendum. Pass. loc. cit. Nec sufficit dicere, id etiam nullibi prohibitum; cum non prohibitio non det, quod non habetur; sed ad hoc opus sit concessione. Pass. ibid. Atque ex his sequitur, Superiorem quoque nullum inferiorem Papæ posse admittere talem extraneum ad electionem; quia dispensare non potest in lege Papæ requirentis, ut eligens sit membrum Capituli. Sed neque externum, qui talis dicitur ob carentiam alterius alicujus qualitatibus requisita in Electore, nisi fortè qualitas sit talis, qua inducta sit lege, in qua ipse dispensare possit, v. g. lege alicujus Capituli generalis Regularium, in qua idem Capitulum dispensare potest. Pass. loc. cit. num. 10.

*Questio 246. An laicis secularibus (de laicis enim Religiosis professis constat, quòd admitti possint in electionibus Regularium, non tantum ex privilegio, sed & ex consuetudine, saltem immemorabili. Gl. 3. in Clem. ut ii. de ætate & qual. Io. And. in c. ex eo. h. t. in 6. Fagn. in c. massana. h. t. num. 18. Pirh. n. 18.) competere possit jus eligendi Prælatos Ecclesiasticos ex privilegio?*

**R**espondeo affirmativè, nimirum concessio à summo Pontifice. cap. quòd sicut. c. sacrosancta. Hof. Pass. cum communi. In quo casu eligit, non tam auctoritate propriâ & sæculari, quàm Ecclesiasticâ; ex commissione scilicet Papæ. Laym. in qq. can. hic. q. 20. Sed neque excedit potestatem

K

Papæ